



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Synopsis Magnalium Divi Josephi**

**Ignatius <a Sancto Francisco>**

**Leodii, 1684**

Prolud. 7. Tota ratio essendi D. Iosepho fuit Christus, ut scilicet esset illius  
Pater.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38500**

simam Virgininem, quamvis magis dilectam, vel momento uno prius esse Matrem suam quam D. Josephus esset Pater suus; noluit, inquam, Maternitatem Beatæ Virginis vel unico instanti præcedere Paternitatem D. Josephi, ut exinde ulterius colligeremus & concluderemus, quod sicut simul & semel eodemq; momento in tempore Divus Josephus fuit Pater JESU, quo Beata Virgo Maria fuit ejus Mater: ita etiam eodem puncto Æternitatis in suâ prædestinatione electus fuit Pater, quo Beata Virgo electa fuit ejus Mater.

VII. Nec prætermittendum hîc à Sacro Evangelistâ statim ac de executione Mysterii Incarnationis agit tres illas personas JESUM, Mariam & Josephum ita conjungi, ut unaquæque sit in suo ordine, JESUS primo, Maria secundo, Joseph tertio. *Cum esset desponsata Mater JESU Maria Joseph.* Unde concipio ex hoc quod Incarnatio dependenter ab D. Josephi cum Beatâ Virgine desponsatione facta sit & decreta, consequenter esse inter illas tres Personas sanctissimas eundem prorsus ordinem simul & connectionem, quam inter illas ibi divinum ponit Evangelium. Quocirca optimè illi Doctores meo videri censuerunt, qui dixerunt illas tres Personas sacratissimas inter se componere hierarchiam unam seu ordinem particularem, in quo sunt solæ, omnibus modis ab omnibus aliis Beatis qui sunt ad alios ordines redacti distinctæ, quorum proinde nulla cum his potest esse comparatio; quam Hierarchiam seu ordinem vocant ordinem unionis hypostaticæ, quia nimirum unio hypostatica est illius fundamentum & causa: in quo quidem ordine Christus Dominus primum tenet locum, quia in ipso est formaliter ipsa unio: Beata Virgo secundum, quia ab ipsâ & ex ejus carne Christus: Tertium D. Josephus, quia ad illudendum diabolo sub ejus umbrâ & integumento, idest, in ejus cum Deiparâ Conjugio conceptus, consequenter ipsi productus, & ipse tantæ prolis curæ, tutelæ, educationi omninò ex naturâ rei adstrictus; quapropter statim initio Evangelii ubi de generatione Verbi secundum carnem agitur, ita JESUS, Maria,

Joseph ab Evangelistâ conjunguntur & ordinantur, ut quam inter illos ponit unionem & ordinem in hujus summi executione mysterii, eandem unionem, eundemque ordinem fuisse intelligamus etiam in ipso quod de eodem formatum est æterno decreto.

## PROLUDIUM VII.

*Tota ratio essendi D. Josepho fuit Christus, ut scilicet esset illius Pater.*

**N**ON tantum fuit ista intima unio ac strictissima D. Josephi cum Verbo Incarnato connexio in esse supernaturali, in quo cum assero cum Christo ipso prædestinatum, nimirum ad esse Patris ejusdem Christi & ad gratiam ac gloriam tantæ proportionatam dignitati, sed insuper tanta fuit inter ipsum & Christum connexio etiam in esse naturali, ut & decretum de futurâ aliquando ipsius existentia in rerum naturâ non fuerit nisi propter Christum, adeoque tota ratio essendi D. Josepho fuit præcisè ut esset Pater Christi Domini; quâ ratione cessante omninò verum est quod nunquam fuisset natus homo ille in mundo; ut proinde quomodo D. Bernardus homil. 1. super *Missus est*, de Divâ Deiparâ argumentatus est, ita de D. Josepho ejusdem Dei & Domini nostri optimo Patre propter non parvam similitudinem rationis.

Sic ergo D. Bernardus ibi de Beatâ Deiparente: *Talem sibi Deus de omnibus debuit eligere, imò condere Matrem, qualem & se decere sciebat & sibi noverat placituram.* Ubi mellissimus Doctor postquam dixit quod Deus in hominem pro homine effingendum debuit inter omnes mulieres illam eligere in matrem qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram, seipsum corrigit addendo, *imò condere Matrem.* Non enim satis esse putavit, ut exprimeret mentem suam super tantæ magnitudine Matris, dixisse quod illam elegerit ex omnibus mulieribus, sed existimavit addendum quod illam expressè condiderit talem qualem

I.

II.

qualem & se decere sciebat & sibi noverat placituram.

III. Idem dico ergò de ejus Patre dignissimo D. Josepho, non sufficit dicere quod Deus talem ex omnibus viris elegerit Patrem, qualem & se decere sciebat, & sibi noverat placituram, sed omninò dicendum, quod eum expressè talem condiderit; hoc amplius est & altius sonat pro gloriâ D. Josephi quàm illud, quia electio non potuit fieri nisi de illis qui erant futuri quando fiebat electio, ex quo non sequeretur fuisse omnibus omninò præstantiorem (quamvis fieri potuerit) sed tantùm illis qui tunc futuri erant quando fiebat electio ex illis. Cùm verò dicitur illum propter se expressè condidisse non alium. Ullus nisi absurdissimus intelliget rationabiliter quàm qualis non solum isto tempore nullus, sed etiam omni alio tempore. Hanc mihi cogitationem ingressit noster Baptista Mantuanus in Versibus ex lib. 3. Fastorum de S. Josepho, ante hanc Synopsim præfixis, ubi sic ille.

*Te Deus in terris ex tot mortalibus unum  
Repperit arcani fides qui conscius alet,  
Cui bene virginitas magna sanctissima  
Matris*

*Cui bene comitti divine infantia Proles  
Posset, & alterius seculi surgentis origo.  
Hinc tua quanta foret nobis cognoscere  
fas est* *(corda  
Integritas, tua perspicuis Deus intima  
Inspiciens oculis culpe vestigia vidit  
Nulla, nec indicium scabrae rubiginis  
illum.*

*Felix officio tali, felicior illo  
Sinceri candore animi, quem Rector  
Olympi* *(honores.*

*Intuitus subitò ad tantos te assumpsit  
Tum deinde subdit.*

*Te tamen Omnipotens talem formavit ut  
esses*

*Bajulus & custos admunerat idoneus illa.*

IV. Probatum verò præsens nostra Thesis ex hoc quod nativitate habuerit Sanctissimus ille Patriarcha, ad tam alta & singularia tam singulariter electus, singulariter, & præter communem legem: Natus est enim ex Jacob filio Nathan in uxore Heli fratris sui sine liberis defuncti juxta legem Deuteron. cap. 25. quæ est de suscitando femine, fratri sine

prole defuncto, in ejus uxore per fratrem superstitem: quæ omnia omnibus patebunt ad oculum, ut speramus, ex infra dicendis.

Et verò nunquid poterat Deus suâ providentiâ res ita disponere ut Jacob filius Nathan præveniret Heli, sibi quæ prius illo desponsaret ejus uxorem Matrem Josephi? quo pacto natus fuisset D. Josephus, ut omnes alii, nec habuisset nisi Patrem communem, ut communiter alii, non verò legalem, ut ex Dei dispensatione pauci. Sed aliter disposuit hac de re expressè (ut quidem arbitror) Deus voluit omninò & istam Deuteronomii legem condere, & ut Mater D. Josephi primò desponderetur Heli ex quo non erat susceptura prolem, ac deinde Jacob: quod quæ ex illâ legali conjunctione nasceretur D. Josephus: quippe extraordinarius iste Vir nativitate habere debuit extra communem legem, evidentè quæ Deus nobis constare voluit, quod sine istâ lege nunquam fuisset nascurus.

Et quamvis ut D. Josephi nativitas esset extraordinaria, id quæ nobis constaret, potuerit Deus aliam viam inire, v. c. efficiendo ut ex parentibus nasceretur sterilibus aut senibus, quemadmodum Isaac, Samuel, Joannes Baptista & alii: hanc tamen viam eligere noluit pro D. Josepho, sed istam legalem: primò quia ista hæc purior; non enim hic parentes ac præcipuè Pater ille legalis & adscititius ad generandum se applicabant impellente concupiscentiâ, sed obedientiâ & virtute, ut scilicet Dei legi & ordinationi obtemperarent. Secundò, quia per hanc viam constat D. Josephi nativitate fuisse extraordinariam, & nunquam aliâs futuram, quod Deus intendebat, & insuper per hanc disponebamur ad credendum eundem D. Josephum esse Christi Patrem, licet Christum non genuerit, quemadmodum ipse filius Heli ex istâ Dei lege, à quo nec ipse genitus: *Et enim, inquit D. Justinus Martyr quæst. ad Orthodox. ox. Josephus ipse vocatus est Heli filius, nec tamen ex eo genitus: quoniam divine legi sic visum est ex uxore Heli dare filium Heli: sic visum est Deo ex uxore Josephi dare filium Josepho; non genitum secundum carnem ex ipso: quod enim*

Synopsis

Magnificat  
D.  
Josephus  
RV  
etc

*enim ex femina aliqua sine stupro nascitur, id necessario filius est viri & feminae, quo pacto vult Deus dare filium viro, aut per conjunctionem, aut citra conjunctionem.*

VII. Quin immò dico hanc Deuteronomii legem expressè ac principalissimè propter D. Josephum fuisse conditam, ut nimirum secundum illam nasceretur, & secundum illam nascens magis nobis esset certum ipsi à Deo decretam fuisse extraordinariam nativitatem, quia Pater Christi futurus erat. Nam etsi ipse Textus dicat legem illam idèò latam ut non deleteretur nomen defuncti sine liberis ex Israël, hic tamen est tantum finis proximus istius legis, sed ultimus & primariò ac principaliter à Deo intentus, non alius fuit quàm S. Josephus Pater suus, ut scilicet ipse beneficio istius legis nasceretur aliàs non nasciturus.

VIII. Hoc porrò vel ex eo patet quod lex & Prophetae propter Christum: ergò hæc lex tam particularis & extraordinaria, ob id enim ista cum aliis post Christum omninò abolita. Mirè autem conducit & quadrat hæc ratio, scilicet ut dicamus illam idèò latam fuisse ut Christus haberet Patrem suum immediatum secundam illam natum: indeque agnosceretur illum cui adèò evidenter extraordinaria & præter communem legem decreta & præparata nativitas, non ut hominem ordinarium suspiciendum, sed ut hominem prorsus divinum.

IX. Non itaque D. Josephus aspiciendus in principio sui esse ut cæteri homines, & credendum quod primò existentiam habuerit in mente & decretis divinis ut homo, ac deinde quod electus fuerit ad dignitatem Patris Dei hominis, sed è converso, primò & ante omnia concipienda magna illa & incomparabilis dignitas Patris Dei, qua Deus incarnandus carere noluit, etsi potuit: ac deinde homo unus scilicet D. Josephus expressè decretus & conditus à Deo ut istam acciperet excellens dignitatem, quippe qui non nisi propter istam dignitatem esse à Deo accepit nunquam aliàs accepturus.

X. Igitur ò divinissime Pater! tibi libentissimè adapto quod noster Divus

Joannes Damascenus Virgini Sponsæ tuæ Orat. 1. de Nativ. Beatæ Mariæ, & dico vitam te habuisse sed naturam præstantiorem: Nam non tibi ipsi (neque enim tui ipsius causâ progenitus es) sed Deo habuisti, ob quem in vitam produisti, ut orbis universi administrum te præberes, atque antiquum Dei consilium, hoc est Incarnationis Verbi, ac nostræ Deificationis decretum, quod in Sponsâ tuâ impletum est, te contribuentem impleteretur.

Quare quidni hic illud quod aliàs Christus Apostolo suo Philippo à se petenti Joann. c. 4. ut ostenderet ei Patrem respondit, usurpare possim, *Philippus qui videt me, videt & Patrem meum.* Ex tali quippe Filio nonne facilè concludi potest (si tamen hic benè cognoscatur) qualis esse debuerit, fuerit & sit talis Filii Pater, & propter talem Filium expressè conditus?

Ecce in hac D. Josephi prædestinatione quam hoc & tribus Pro ludis precedentibus prosequuti sumus, omnium ipsius Privilegiorum, Gratiarum, & Prærogativarum fontem, ex quo omnia illa copiosissimè profluunt: Ecce, inquam, fundamentum cui totam Encomiorum ac Magnalium ejus molem superstruere pergo. Sed qualis fons? quàm copiosus? quàm dives? quàm fecundus? Quale fundamentum? quàm firmum? quàm solidum? Ex hoc fonte tam uberi, quæ non gratiarum fluentia profluere debent? quid adversus illa quæ huic fundamento superædificata fuerint prævalere poterit?

Enimverò si hanc semel veritatem (in quâ nihil cõtra rationem) admiserimus, quod scilicet D. Josephus talem habuerit prædestinationem, quid quæso durum? quid difficile nobis videri debet ex iis omnibus quæ ad ejus laudem dixerunt Doctores quantumcumque extraordinaria, immò etiam multis videantur improbabilia? qualia sunt, quod fuerit in utero sanctificatus, quod in gratiâ confirmatus, quod caruerit fomite, quod fuerit expers omnis libidinis, omnis peccati etiam venialis quantumvis minimi, quod in gratiâ & meritis ita excelluerit, ut in gloriâ Conjugiæ Mariæ Deiparæ suppar, super omnes

XI.

XII.

XIII.

omnes alios sit: quod illi Scriptores qui ei negarunt non difficilè credidissent si hanc ejus prædestinationem benè agnovissent. Quid enim tam magnum humana ratio excogitare potest, quod non ei debitum sit quem Deus ita prædestinavit, quem ob id præcisè creavit, & creare voluit, ut esset Pater Filii sui Incarnati nunquam aliàs creandus.

XIV. Quare non timeo Cenforum etiam rigidiorum, si tamen aliqui futuri sint (quod non credo) contradictiones, confido verò illa quæ hîc à me ex tali promptuario educenda, omnium sapientum & piorum approbationem & suffragium inventura; quandoquidem ex tali antecedente non possint nisi magnæ sequi conclusiones: censeoque per hæc quæ in præfatis proliis præcedentibus, maximè verò in præfatis diximus, & illa quæ in sequentibus addemus, omnium animos sufficienter iri præparatos, ut singularia illa Divi Josephi privilegia quæ hîc producturi sumus, deinceps sine ulla ambiguitate credant, imò cum gaudio & consolatione recipiant.

### PROLUDIUM VIII.

*Fuit Divus Josephus prophetizatus & præfiguratus.*

I. **P**ROLUDIIS quatuor præcedentibus vidimus Divi Josephi prædestinationem, eamque ostendimus adeò unitam cum prædestinatione Christi Domini, ut nec ipsum esse naturale quod in tempore accepit, aliter acceperit nisi dependenter ab eadem Christi prædestinatione: propter quod eam Divi Josephi prædestinationem meritò singularissimam pronunciamus. Deinceps ad explicandam ejusdem prædestinationis executionem procedemus, in quâ illud primum observo quod in argumento Proludii propositum, quod scilicet Deus vi istius prædestinationis ut singularissimæ, antequam ad illius executionem per Josephi productionem manus admoveret, cum præostenderit, præviderique ac pronunciarum seu

prophetizari voluerit, nec non multis ipsum adumbravit & præfiguravit: quæ duo & singularissima sunt privilegia & singularis magnitudinis futuræ notissima argumenta, de quibus sigillatim per duas Sectiones sequentes.

### SECTIO PRIMA:

*Divus Josephus prævisus & prænunciatus seu prophetizatus.*

II. **P**RÆOSTENDI, prævideri & prænunciari seu prophetizari argumentum magnum esse magnitudinis futuræ, res videtur manifesta: Cum enim testo gravissimo & antiquissimo Tertulliano in Apologetico c. 20. *Testimonium Divinitatis sit veritas Divinationis*, & Scriptura ei adstipulante soli Deo competat futura prævidere & prænunciare. *Annunciate quæ ventura sunt in futuro, & sciemus quia Dei estis vos*, Isaie c. 4. vers. 23. Profectò nimis sublimis est & excelsa prophetia ut aliis rebus applicetur & inserviat quàm magnis, quod maximè verum est quando de personis agitur: Namque paucis videmus contigisse prænunciari seu prophetizari, usque non nisi magnis; vixque ulli alii post Christum ejusque Matrem Sanctissimam, nisi Divo Josepho Patri illius & hujus sponso.

III. Probatur secundò ex lib. Apocalyp. c. 19. v. 9. ubi dilectus Christi Apostolus dicit, *Testimonium IESU est Spiritus Prophetia*. Ac si diceret maximum ac primum testimonium magnitudinis Jesu Christi supra cæteros homines est quod Deus illum per tot sæcula priusquam esset præostenderit, & mundo prænunciari voluerit: Hinc Magnus Lactantius lib. 4. Instit. *Non ideo à nobis Deus creditur Christus, quia mirabilia fecit, sed quia in eo videmus facta esse omnia quæ nobis annunciata sunt vaticinio Prophetarum*. Et Sanctus Martyr Ignatius in Epist. ad Philadelph. *Evangelio non crederem, nisi id prædictum viderem*. Magni ergo omninò censuri illi quos Deus antequam existant voluerit præostendere, prævideri & prænunciari.

C

Pro.

Synopsis

Magnificè  
D.  
Josephus  
SV  
etc.